

Zeitschrift: Mitteilungen der Antiquarischen Gesellschaft in Zürich
Herausgeber: Antiquarische Gesellschaft in Zürich
Band: 12 (1858-1860)
Heft: 6

Artikel: St. Gallische Denkmale aus der karolingischen Zeit
Autor: Dümmler, Ernst
Kapitel: I: Orditur epistola Ermenrici ad domnum Grimoldum abbatem et archicapellanum
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-378768>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Carol. 265

I.

**ORDITVR EPISTOLA ERMENRICI AD DOMNVM GRIMOLDVM ABBATEM
ET ARCHICAPPELLANVM.**

p. 3

Diu sane mihi pertractanti preceptorum doctissime, quo primo exordium adipiscendę dilectae amicitiae uestrae caperem, inter multa animo opposita occurrerunt mihi duo magna luminaria: lumine maius, quo inluminamur, ut diligatur deus et luminare minus, unde proximus. ad quae precepta cetera omnia coherent, ueluti etiam nomini et uerbo, in quibus personam tenemus et actum ceterae partes omnes iunctim appendent. cum enim non ignorem, te tam in poemate quam in omni arte priorum adprime catum in tantum, ut interdum comico coturno, aliquando uero ueste septemplici, quam sophia sibi suis manibus texuerat¹⁾ indutus mirifice procedis. preter haec etiam gemmis omnium uirtutum adornatus, humilitate precipuus, iustitia temperatus, fortitudine strenuus, prudentia cautus, temperantia modestus, zelo dei feruidus, patientia lenissimus, in aduersis letissimus, in prosperis humillimus pares. et non inmerito his uirtutum alis ceteros precellis, qui a primo aetatis flosculo inter aulicos beatorum augustorum mores decentissimos enutritus es. tam dogma totius disciplinae quam normam recte uiuendi ab eis didicisti, qui in omni imperio cum deo summi fuere. sed et hactenus riuo iocundissimo ac in omni uirtutum stemate prefulgido ex primoribus fontibus totius Europae emananti coheres, Hludowico scilicet dilectissimo regi nostro, qui licet angustiiori * limite terrarum, uirtute tamen uincit Herculem Centauros domitantem et agilitate Vlixem. interroga Sclauos in gyro et non miraris epytoma meum. habemus denique nos ipsius alumni pauperculi in eodem riuo maiores copias Scythico Tanay formasque ipsas Nilo preferentes. ei gratias referimus, qui nobis tam limpидum atque salubrem totius boni fontem concessit, unde cuncta pacifica et utilia semper haurimus haustumque ipse omnibus ad se properantibus indeficiens prebet et cupit hauriri. sed eheu idem ipse tam habilis fons ne late flueret, quam sepe machinamentis quorundam tum priuatorum tum etiam ethnicorum seu externorum hominum dispendio obstruitur, heremus prodit ac bestię loquuntur, donec restagnatus in sese et non sine periculo sui patientissime se exedebat deoque eum protegente armis rempublicam defendebat. in cuius etiam laribus tu ipse ueluti fidelis Iolla conuersatus latusque dextrum obseruans nosti melius, quam incomparabilis sit eius pietas, uirtus et ingenium aliarum gentium regibus. quippe qui in deo solo potentiam possidet et copia diuitiarum eius est sapientiae decus quique aliis sophia ut dictum est impar, auo tantum par te censore iudicatur, quatinus eo superstite habeas, unde ingenium grandęuo iam senio fessum exacuas et ceu Karolum optimum pre oculis habens nil sit uel quod doleas uel pertimescas. sed haec latius alias.

p. 4

Ceterum mi carissime didascule ne me longius ab incoepta uia egressum obiurges, redeo demum ad id, quo omnes uirtutes spectant, hoc est ut primo diligamus deum et dominum nostrum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente, qui est ęterna pulchritudo, aeterna dulcedo, aeterna sua-

p. 5

1) Vestes erant tenuissimis filis . . . , quas . . . (philosophia) suis manibus ipsa texuerat Boeth. de consol. philos. I. 1.

uitas, aeterna flagrantia, aeterna iucunditas, perpetuus honor, indeficiens felicitas. dein diligamus proximos nostros tamquam nos ipsos et sic ceteras uirtutes per comas teneamus istis duobus mandatis rite completis. et quia neuter sine altero diligitur, id est nec deus sine proximo nec proximus sine deo, consequens est, ut teneat anima ordinem suum, scilicet ut diligat totis uiribus, quod superius est hoc est deum et regat, quod inferius est id est corpus et animas socias dilectione nutriat et foueat. hisque duabus dilectionis pennis subleuata et in quadriga quattuor principalium uirtutum composita ad caelum usque euolare possit corpore exuta felicium anima

p. 8 Sed haec nunc dicta sufficiant de anima. ac ne me reputes te in omni scientia perfectum ceu nouellum quendam uelle docere, cum sciam te omnia nosse, qui pene nullum angulum scripturarum dimisisti, quem piscatum non habeas. quin potius haec idcirco de animae statu uel substantia tam late protuli, ut sciant legentes, qui se deum diligere profitentur, quod ita eum diligere debent ueluti tu diligis, ex tota uidelicet anima id est cum ratione et cum omnibus sensibus suis, fide firma, spe certa, caritate perfecta, credens in eum, sperans in eum, diligens eum, a quo omnia, in quo omnia et per quem omnia sunt bona atque permanentia. ob cuius amorem licet habitu hereas, animo tamen spernis praesens seculum cupiens dissolui et cum Christo esse, terrena atque temporalia magis agens ex debito quam ex intentione, misericordiae operibus deditus, hospitalitate precipuus, dei seruitio intentus omne quod ad cultum uel ad religionem diuinae pietatis pertinet, quod Greci theosebian uocant summopere colis. sacerdotes Christi diligis uasaque sacrarum aedium restauras, monasteria uisitas ac uisitata paterno affectu disponis et equanimiter, si qua sunt in eis anomala, dirigis atque ad statum aequitatis perducis. et propter quem uel propter quid haec agis? nisi propter deum, quem diligis et propter proximum, quem ita diligis ut te ipsum ac interdum plus quam te ipsum. nonne cum cibum uel uestem tibi subtrahis et indigenti tribuis, indigentem proximum plus quam te ipsum colis? et ut tibi p. 9 pernota in*cutiam: ecce pro inuictissimo rege nostro post deum tamquam pro capite nostro eiusque clarissima laterali costa atque pro tota simul prole inde procedente quantis precibus incumbis? quantasque uigilias pateris? quot itinera conficis? quantaque hinc et inde in commune uulgus expendis? ambulas, curris in montibus reptans, in fluminibus natans, siluas pertransis et uolitas in campis nec est in his labor diligentis animo, quia labor parit patientiam, patientia tolerantiam, tolerantia assiduitatem, assiduitas autem adducit caritatem; qua perfecta seruire iubemur inuicem apostolo 4) dicente: *Omnia uestra cum caritate fiant.* quod si cum uinculo pacis iussi sumus mutuo seruire, quanto magis totis uiribus debemus regibus nostris atque principibus deuotissime famulari

p. 12 Sed ne diu fatigeris pater in ambagibus locutionis huius neque me pro cycada numquam silenti abhorreas scito, quod hactenus os meum in id ad quod tendam non aperui, sed fixis labris qualis quantusque in dilectione dei et proximi sis uel in republica omnia omnibus factus breuiter dixi et quia mandatum nouum est, ut etiam inimicus diligitur, propter deum et de hoc haustum dedi

p. 13 Hinc iam etiam doctorum amabilissime, quia te ocellis creuimus scuto fidei indutum galeaque spei firmissimae cristatum, summae etiam lorica caritatis hamatum, mucronem uerbi dei 2) bicipitem praemanibus tenentem, conglutinauimus tibi pennas dilectionis dei et proximi ad utrumque latus bene subnixas, quibus optime subuectus polotenus euolare possis. atque ut leuius isses, quadrigis te im- p. 15 posuimus, quarum nomina sunt prudentia, iustitia, fortitudo et temperantia Ecce quadrigarum

1) 1 Cor. 16, 14. 2) Ephes. 6, 16, 17.

tuarum species coram posita est, in quibus te gloriose equitantem miramur. nam prudenter omnia sapis, iuste etiam deum proximumque diligis, fortiter aduersa seu prospera uincis, temperanter per cuncta uersaris. nec inmerito hoc insigne uirtutum cum accidentiis suis possides, cuius redam sophia ipsa officio aurigae sedulo regit et Christus sua gratia ducit. ac utinam sub axe huius cubans lycisca forem, colligerem uel micas inde cadentes, uel si furem sentirem statim muttirem. Haec sane p. 16 omnia et caetera innumerabilia, quae abyssus supradictarum artium in se continet, tuae sapientiae rimanda dimitto, de quibus tamen aliquantisper enucleatius domino regi quaedam colligere cogitavi et inter alia ludi nostri dicta ceu quoddam coraulium dare, si scissem et in hoc uestrum uelle. sunt etenim, prout nostis, in ipsis' disputationibus multa ad dinoscendum pernecessaria sapienter uiuere cupienti.

Nunc uero quia ad calcem huius epistolae festino, lucum nominis seu uerbi partim tangere p. 18 cupio. Nimisque longum est domine pater, si omnia in uerbis uariae reperta, tibi etiam com- p. 35 perta, in unam congeriem conor conglobare, precipue cum fastidium pariant scientibus et tamen necessaria sunt ignorantibus. ob quorum etiam amorem, * licet absentium, haec tam longa serie p. 36 prosequar exponendo, ut sciant, quod communem habere cum eis gratiam dei desidero in scientia artis et intellectu spiritali et ut pro anima mea, quando haec legunt diuinum implorent auxilium, quia quicquid deo donante intellego aliis communico, neque mea uoluntate thesaurum celestem sub ueste tenacitatis abscondo, sed uolentibus aequae nolentibus ultro expendo. Interim uero ductor p. 38 amande, quia tempora augustorum nosti, sub quibus sapientia floruit et ut leuius iter ha*beamus dicito p. 39 mihi, si inter illos audieras, unde quidam corripiant, quidam uero producant in penultimis uerba subiunctiua in prima et secunda persona pluralis numeri tempore preterito perfecto et futuro eiusdem modi per omnes coniugationes. Videsne pater, quod quasi * ebrius uia coepta relicta in alias partes p. 45 etiam deuoluor tangendo quaedam ex his et ad intellegendum exponendo? quod ne propter tuam incitiam me facere putes, quin potius ob duas angustias instantes. una est quia cerno docentium raritatem, altera quia discentium crescere uideo tarditatem in tantum, ut nec de talibus uel interro- gare dignentur et sic artes inscrutabiles a non discentibus uilescent. scripsi haec, ut necessaria coram exposita uel inuiti recognoscant.

Sed et de istis iam dicta sufficiant et ne amplius restes laxes, quibus me ad quadrigas tuas p. 56 ligare rogavi, ne forte ex artibus uix eductus iterum in pelagus immensum submergar prophetarum, quorum dicta eo sunt mystico intellectu plena, quo constant non ab alio sed ex spiritu sancto dictata et per os sanctorum prophetarum prolata ac propalata. et quia scio certissime, quod haec omnia sapientiam tuam inexhaustam minime latent, scito uero, quod omnes infantes tales non sunt, qui haec ita sciant, quapropter et si non omnia, tamen gustum ex aliquantis necessariis porrigo illis, qui nesciunt uel qui ad legendum tardi sunt. praeterea nolo me loris tuis in tantum obstrangules uel obtutum tegas, ut ecloqui uel uidere uiam non possim, saltem uel Maronis Musas cernere uel ipsum licentiam da. nolo tamen ipsum uidere, quem credo in pessimo loco manere et quia terret me uisus eius. sepe uero quando legebam illum et post lectionem capiti subponebam, in primo sopore, qui post laborem solet esse dulcissimus statim affuit monstrum quoddam fuscum et per omnia horribile. interdum gestabat codicem, interdum calamum ad aures, ueluti scripturus aliquid, ridebat ad me uel quia dicta eius legebam irridebat me. ast ego euigilans signabam me signaculo crucis librum eius longeque proiciens iterum membra dedi quieti. sed nec sic cessauit fantasma ipsius * terrens me, ferens p. 57

tridentem nescio utrum Plutonis domestici eius an alicuius alterius pre manibus, facie furua solos dentes candidos ostendit. quamque comminationem illius similiter in nomine domini signatus contempsi, ueluti ludum eius ante risibilem pro nihilo habui. quod si omnes dii eius tales sunt, qualem se ipse finxit et de quibus mira ac uaria canit, detestandi sunt penitus, licet legantur eorum gesta

p. 62 Et quia prout nosti sicut stercus parat agrum ad proferendum satius frumentum, ita dicta paganorum poetarum licet feda sint, quia non sunt uera, multum tamen adiuuant ad percipiendum diuinum eloquium, hinc sane omnes, qui hanc epistolam lecturi sunt rogo, ne perturbentur nec felle tenus irascantur, quod a deo tibi datae sapientie tanta asscribimus. si enim uniuersalem prudentiam tuam tam in dominicis, quam etiam in publicis functionibus pensare uoluissent, quam aptus es ad omnia ubique, non haberent in hac sceda quid mirarentur. malui tamen hanc epistolam inter primas uel secundam fore ad honorem tuum scriptam, scilicet quia tu primus deo seruientium merito a regali munificentia es positus, non sit tenuitate sensus ultimum quod constat ad te scriptum. nec est a scientibus nimis mirandum, si tu principali dono sapientie in tantum preuentus es, ut ceteris coequari facile non possis, cum et sanctorum patrum a patriarchis et deinceps per incrementa temporum creuit scientia spiritalium. et ut inde apertius dicam aliquid: plus namque Moyses quam Abraham, plus prophete quam Moyses, plus apostoli quam prophete in omnipotentis dei scientia eruditi sunt. de tali etiam spiritalium uirorum incremento loquitur Danihel¹⁾ dicens: *Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia.* quis enim nesciat, quia Abraham cum deo locutus est et tamen ad Moysen dominus²⁾ dicit: *Ego sum deus Abraham et deus Isaac et deus Iacob et nomen meum Adonai non indicaui eis.*

p. 63 ecce plus Moysi quam Abrahae innotuerat, * qui illud de se Moysi indicat, quod se Abrahe non indicasse narrabat. sed uidendum est, si prophete plus quam Moyses diuinam scientiam apprehendere potuerunt. certe psalmista³⁾ dicit: *Quomodo dilexi legem tuam domine tota die meditatio mea est,* atque subiungit: *Super omnes docentes me intellexi,* et iterum: *Super seniores intellexi.* qui ergo legem meditari se memorat et super omnes docentes se ac seniores intellexisse testatur, quia diuinam scientiam plus quam Moyses acceperat manifestat. item quomodo ostensurus sum, quod plus sancti apostoli edocti sunt quam prophete? certe ueritas⁴⁾ dicit: *Multi reges et prophete uoluerunt uidere, que uidetis et non uiderunt et audire que auditis et non audierunt.* plus ergo quam prophete de diuina scientia nouerant, quia quod illi solo spiritu uiderant, hoc ipsi carne uidebant. quapropter non est multum mirandum, si et tu plus gnoscis, quam Plato et Maro, quorum neuter ad tantam scientiam peruenire potuit, ut sciret deum. tu uero non solum cognoscis trinum et unum deum omnipotentem, sed et in nomine eius diligis proximum tuum sicut te ipsum ac in ipsa purissima caritate patiens es, benignus es; non emularis, non agis perperam, non inflaris, non queris quae tua sunt,⁵⁾ sed pro utilitate omnium laboras et praecipue pro his, qui tibi in deo commissi sunt. nam deo propitio omnia iuste prouidente tria monasteria cure tue procuranda commissa sunt, quorum te hactenus non dominum sed patrem noueras quique etiam omnes in tantum te diligunt, ut plus absentiam tuam de*fleant; quam praesentiam timeant.

p. 64 Ac ne me in his laudibus ypocritam censeas, dicam tibi absque fuce simulationis, quia prout nosti beatissimo praeceptore meo Walahfredo pro responso quodam domni regis ad Carolum germanum suum pergente ibique defuncto interim, quo eum inde sperabas incolorem reuersurum iussisti me de Auuanensi coenobio ad monasterium sancti Galli commorandi et discendi gratia proficiscere ibique a

1) c. 12, v. 4. 2) Exod. 6, 3. 3) Psalm 118, 97. 99. 100. 4) Luc. 10, 24. 5) 1 Cor. 13, 4. 5.

fratribus honorifice receptum aliquandiu commorari. quod et feci iuxta preceptum benignitatis uestre. nauem conscendi atque illuc cum omni prosperitate deo gubernante perueni tantasque uirtutes in eisdem fratribus consexi, ut uix illas, ne dicas me sed neque Pythagoram de Samo egressum has eloqui posse. alius enim alio humilior et patientior inuenitur, nec est zelus amarus inter eos uel inuidie lior, sed sola caritas ibi principatur et iustitia regnat. et si caritas mater est uirtutum et concordia filia eius ac simplicitas sancta earum pedissequa illic sine dubio domicilium proprium habent. que etsi pro tempore aliquanto in aliis locis commorata fuerit et particulatim se ibi ostenderit, hic tamen semper cum filia et ministra tota consistit. nec est aduentantium hospitem ullus, cui ab his tribus non occurratur. sunt enim iugiter simul indissolubiles ut funiculus triplex et inter omnes sparsae integre tamen unum omnibus ministerium praebent. a cuius scilicet caritatis uberibus suxit beatus Engilpertus largitatem et ingeniosissimus Hartmodus benignitatem, ambo * docti, ambo tam deo quam p. 65 hominibus dignissimi, tibi etiam domino carissimo per omnia fidelissimi, ceu aurea candelabra lucent in domo tua ante deum. nec nocet, si unius lux paulo feruentius ardet, alterius uero lenius et ob hoc longius, cum utrumque placeat et botrus qui a calore solis citius et qui sero maturescit et equus uelox et qui pedetemptim ambulat aequae laudatur ab his, qui interdum huius, interdum uero illius utilitate, prout res dictat, utuntur. longum est sane, si per singulos nominatim uelim discurrere, quantos qualesque dei famulos in omni arte et uirtutum stemate redimitos ibi uiderim. sed neque in edificis construendis ex omni materia tam industrios uiros uel raro usquam repperi. sicuti bene in nido apparet, quales uolucres ibi inhabitaent. cerne basilicam et coenobii claustrum et non miraris, quod refero. et ne de omnibus sileam, quid est Winihartus, nisi ipse Dedalus uel quis Iseuricus, nisi Beseleel secundus, in cuius manu semper uersatur dolabrum, excepto quando stat ad altaris sacri ministerium. tanta humilitas in eis est, ut tam perfecti uiri non dedignantur opus rusticum per se ipsos actitare, pensantes scriptum: *Humilitate penetratur celum et caritate peruenitur ad regnum sempiternum.* quid memorem de domno Amalgero in consiliis prouido atque in uniuersa morum honestate preclaro: in diuino autem cultu quam religiosus sit, testatur altare aureum, ante quod sedulo sedet uel iacet orans. taceo de domno Ratgero uiro simplicissimo usque quo uentum fuerit ad hoc, * quo p. 66 latius id ualeam exponere, qualiter omnis congregatio illa per totum diem laborauerunt in una columnarum illarum, quae in basilica ipsa circumstant. ad ultimum omnibus iam fessis ac inde secedentibus solus ille ab incepto opere non recessit, sed tamen frustra sudabat, antequam in haec uerba prorupit dicens: Sancte Galle finde illam. mirumque in modum in his uerbis simpliciter edictis rupis illius moles immensa sua sponte inde fissa enituit, unde tota illa multitudo ante laborauit, ut aperte daretur intellegi, quod hanc findere non labor hominum sed meritum sancti Galli potuit, que per inuocationem nominis eius simplicem tam facile fissa apparuit et quia idem ipse frater columna spiritalis aedificii fuit in tali miraculo optime claruit. longum est denique, si omnia illorum fratrum bene gesta, quibus per meritum sancti Galli praeeminent, uelim tam breui sermone concludere, dum omnes unum sint et ipsi in Christo et Christus in eis, quia nihil impossibile est capiti deo, qui sic dirigit membra sua, sed nec aliquid ad impetrandum difficile erit membris suis, qui sic coherent capiti suo. fateor omnia p. 67 laudabilia uidi in eis et praecipue caritatem ridentem et unum uel nusquam uel in paucis hic nullum musitantem. completurque in eis, quod olim deus per prophetam suum promisit dicens ¹⁾: *Et ueniens*

1) 2 Cor. 6, 16. (Leuit. 26, 12.)

habitabo cum eis et ipsi mecum et inter illos ambulabo et ero illorum deus et ipsi erunt mihi populus. et iuxta psalmistae ¹⁾ cohortationem senes ibi cum iunioribus semper laudant nomen domini. quapropter mi carissime pater domne Grimolde diu opitulatam mentis meę intentionem nunc recludendam censeo. quia tanta bona in te et in familia * tua per dei gratiam conspexi ceu basium quoddam rependens caritati uestre, cogitavi scripto commendare, quę mihi constant de uestra bonitate nota et dignissima.

Et cur non memorię tradimus facta uirorum cum Christo uiuentium ²⁾, si tanto studio legimus facta ³⁾ hominum iniquorum mortuorum et cum diabolo in inferno sepultorum? quid enim Iuppiter uel Mauors nisi homines pessimi? et quid econtra sanctus Columbanus et sanctus Gallus nisi homines optimi fuerunt? quorum familia tantis terrarum spatiis dirempta talis est, ut una sit tantaque est, ut per dei gratiam signa faciat. sed quia de omnibus longum est commemorare uel de uita sancti Galli, cuius tu pastor quam optime tugurium possides et familiam regis, liceat amoris causa uirtutum eius quosdam floscellos decerpere et metricis melodiis ceu florem diadēma capiti tuo componere, ut si superius te omni uirtutum decore dixi gemmatum, sine corona tantum non te uideat sol stellatum. scripsit itaque eiusdem confessoris Christi uitam supradictus p̄ceptor meus uir simplicissime uitę et per omnia rectę beatus Walahfredus tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum sophistam enutristi et ut plus in domo dei luceret lumine dei p̄uentum super candelabrum eleuasti. sed heu pro dolor! mors acerba, quae nulli parcere nouit subito eum nobis tulit, nec tamen sibi animam illam uindicauit, quam Christus assumpsit. uoluit uero ille poetico coturno gesta beatissimi Galli comere, sed morte p̄uentus uitam in uita finiuit. unde ego rogatus sum a quibusdam fratribus p. 68 et praecipue a deuotissimo Gozperto, ne dicas caluo, sed pilis * zephali aure tenus nudo, omni tamen sancta beniuolentia pleno, felicissimi abbatis Gozperti nepote cum quadam ui impulsus sum, ut quod magister deuotus non impleuit, ego cliens adsecla compleam illum secutus, asserens esse unum tam incipientis ex animo quam perficientis p̄mium. fecissemque fateor in hac re uotis satis, si supradictus dilectus noster in hac petitione aliquam patientiam habuisset. est enim tam feruentis studii, ut in una eademque hora et lac uelit mulgere et caseum praemere, cum nec Roma una die sit condita, sed neque triticum eo die metitur, quo seminatur. ad hęc etiam de uno fonte non putauit sitibundus sitim suam posse sedari, ad mare cucurrit, scilicet Homerum nescio quem nouum pro hac re inuocans cis Hrenum, qui in morem Flacci non currit in poemate sed fluit. insuper et Alpes philosophantur circum, sub quibus iugum Sambutinum Rihpertus lyrico possidet sono et, si nosset antra Musarum, esset talis ut Cinthius Apollo. cuius poesis prisco si interdum alternatur more, Hartmodus eius aures auellit apta repingens proprietati. nam et ipse scientiam philosophandi habet ut Aristotiles calamum in mentem tinguens. et quia multa sunt miracula sancti Galli, plures decet habeat asstipulatores multiplicesque laudatores. ac ne solus in eius laude sileam, cuius beneficia immensa in me ipso expertus sum, tam in uocis claritate, quam etiam in luctus mei solamine, ita ut noctu ante tinnitum nolę hunc uersum cantaret ante me: *O alumne tuos comprime luctus.* quem etiam luctum pro manenti p. 69 concordia, ne propter me ibidem umquam mutaretur, * in crypta eiusdem sancti deo fudi. quapropter

1) Psal. 148, 12. 2) Et dum usque hodie Maronis ac Homeri inutiles fabulae a christianis uiris lectantur, cur non magis libet perseruari dicta ac facta maiorum, ad quorum tumbas sedulo procumbimus etc. *Erminrici prolog. in vitam S. Sole.*

3) Vor facta steht diffamari als ubergeschr. Glosse.

licet supra nominatis poetis sim abiectior et ob ipsorum facetam urbanitatem satis spretus, quia nec poetam nec amuſoterum me esse profiteor, tamen ueſtra auctoritate iubente, quibus parua delectant, de magnis parua excerpo, et ne per omnia petentibus mentiar uel ſupradicto amico in his ſatisfaciam, ſi uel pauca referam. cum ipſe ad ſummos euolauerit, inde rogo capiat ſumma et ob hanc iniuriam ne ſpernat minima, quia apes et formicae ſi uires non habent, ingenium tamen habent¹⁾ ac monoceros corpore paruo cornu tamen conſligere audeat. eo ſchemate et ego putto tuus, ſi te in manibus teneo, a facie ipſius magni Homeri non fugio. et nescio cuius mentis ſit, me uero ita precipitem ſcio, ut ſi bacillum tuum non intermiſeris, ad capillos uſque deuoluemur. inter hæc etiam et cuiusdam Scotticae perẽ iacula uereor ceu ex latere emiſſa, quae modo in partibus Auſoniae puttoni cittonias uel aliud quid incogniti cibi colligit et, licet attrita fronte, apparebit, quando putto inde guſtabit. taertius timor me praemit caluus iam dictus partibus his fauens, ſed tuo priuilegio ſemper ſaluo. conſolatur me una res ſuper eo, quia talis caluus numquam erit ſaluus, immo erit ſaluus, ſi bene fuerit caluus. hancque horripilationem forſan in ponte Cumeteniſi hauſerat, quando de Bobioneniſi coenobio reliquias ſancti Columbani ſecum ferens rediit et ob incuriam quandam de nauis egrediens proram inepigit et in mare * cecidit indeque a ſubleuantibus emersus putabatur a nauis, ut eſſet p. 70 Paulus. ſed quia ut quondam Iacob claudicabat, cognitus eſt a ducentibus, ut is eſſet, qui antea per ſe talis incedebat. grande tamen tantum periculum et laudandus deus, qui eum liberauit per ſuum miraculum. haecque alias ſuo loco dicenda relinquo.

Ceterum mi magiſter et domine amabiliſſime in calce huius epiſtole ſanctitatem ueſtram obnixe depoſco, ut nugae praesentes eloqui mei ita ſuſcipiatis, ueluti optime confido in paternitatem ueſtram. adiunxi autem et huic operi breue opusculum, quod de incoeptione noſtri coenobii et fratrum ibidem deo olim famulantium uita conſcripſi ipſaque dicta uiro per omnia doctiſſimo domno Gozbaldo epiſcopo uel approbanda ſeu refutanda commendaui. et quia ille haec ſibi grata diiudicauit ueſtro non ingrato iudicio examinanda deſtinauit. ſimul et hoc ſcitote, quod nec in cera uel in tabula hæc expreſſi, ſed ſicut in praesentibus ſcedis dictata ſunt, ita ſunt uobis directa, ut ſi forſan coram lecta non placuerint, non ſit dolor periſſe quod conſtat uile fuiſſe. in priori quidem opere Anitium Boetium ſum imitatus, in iſto uero Proſperi noſtri morem ex parte ſecutus. tu uero doctor ſagaciſſime linceis oculis²⁾ in talibus utens orationibus tuis me adiuua, quatinus ad portum quietis quandoque proſpere euectum audias me inter lætiſſimos celeuma ex alto canentem. ſancta et inſeparabilis trinitas uos cum omni grege ueſtro bene ualere faciat mei memorando ſemper in quo amen.

O felix uates ſenioris nomine dignus
poſcimus optatam det tibi Chriſtus opem.

dum bona cuncta³⁾ placent cunctis pietate miniſtra,
actibus aequae tuis mens mea laeta manet.

5 est tibi larga manus, placidum cor, dulcia uerba,
es probus et ſollers, promptus ad omne bonum,

p. 71

1) ad haec ne obſisterem, intuliſti illud Socraticum, Apis, inquiens, quod nequit uiribus conatur ingenio. et cernis, quod fert formica folliculum ſibimet permaximum ac per id ſtatura non deſpicitur, cum magnitudo oneris deportetur. *Gundrammo Erminricus*.

2) Quodſi, ut Ariſtoteles ait, linceis oculis homines uterentur. *Boeth. de conſol. philoſ. III. 8.* 3) cuncta *H.*

munificus, sapiens, castus, sincerus et equus,
absoluens legis mystica quaeque piae;
artis grammaticæ et summus sophista uocaris,
10 undique doctus eris artibus omnigenis.
quattuor et clarus uirtutibus almus haberi,
innumeris aliis ex caritate micans.
uestra ob quas res non potui e bonitate silere,
sed mage te ostentans esse legentis odor.
15 care Grimolde pater gratis haec auribus hauri
carmina, quae nullo sunt peritura die.
dum rapidis sol currit equis, uibramine terras
inlustrat, gelidis dum mare feruet aquis,
istis in dictis legitur tua fama beata
20 nominis eterni et gloria magna tui.
te precor interea nostram bene suscipe Musam,
ut sit tuta canens, sis pia pelta tegens.
liuor edax tacito si quisquam murmure dicat,
cur haec auderem scribere inepta tibi
25 et lacerare cupit nostros molimine uersus,
tu pater alme manum porrige quaeso mihi
et mecum simul improbitatis ab igne rubentem
reice, ne fuscet candida dona tua.
quod si non cesset lacerans mea dicta susurro,
30 hoc ipse exponat posco problema tibi:
oenon paleon pi melin gallan eleon
et non miraris dulcia nosse tua.
neon ide lalo rema sison riphon ariston
uescere quis poteris tuque poeta tuis.
35 phrontistes phronimos phisa philoponia nechros
hoc fecit Christus primus in orbe deus,
qui cruce frugifera mundum ex pietate redemit,
nos saluat morte perpetua moriens.
sic cum surrexit docuit nos surgere posse
40 ascendensque polum scandere quemque monet,
cuius nempe crucis donis nunc tangere quaedam
Musa uolebat ouans, sub breuitate iocans;
sed quia nec cosmos toto si sudat in orbe,
hanc digna poterit laude sonare crucem,

p. 72

V. 31 *am Rande* uinum butyrum bibe lac oleum.

V. 33 *am Rande* nouum uide loquor uerbum moue sorbeo prandium.

V. 35 *am Rande* curator sapiens suffat studium mortuus.

45 sume tamen gustum hic huius cum laude triumphi,
uersibus innixis cerne suprema notis
et sancta prece sic me sustentare memento,
ludere quo possit Musa ferendo pyra.
Crustumis Syriisque pyris ¹⁾ sunt hæc potiora,
50 in quibus auxilium poscimus ad dominum.
mollia Pyerides subtili carmina filo
non nebunt domini ueste nitente mihi,
Castalides nec percurrunt subtemine telas,
fuis namque meis purpura sed dabitur.
55 ante cadant imis miscentia sidera terris,
aut fluat ad summos flumen ubique polos,
Nylo ante Herydanus properet pugnacibus undis,
aut Tygris Rhodanum tangat ab amne furens,
ante plagas mundi radios sol condat in omnes,
60 quam tuus a nostro pectore amor redeat.
iamque uale felix per tempora longa magister
ac memor esto mei, sum memor ipse tui.

p. 73

VERSVS LXIII

Splendida marmoreis ornata est aula columnis,
quam Grimoldus ouans firmo fundamine struxit,
ornauit, coluit Hludewici principis almi
temporibus multos laetus feliciter annos.

Aula palatinis perfecta est ista magistris,
insula pictores transmiserat Augia clara.

Hic deus est praesens puro poscentibus ore,
dans miseris ueniam, contritis corde medelam.

Agmina sanctorum laudantia uoce serena
ante thronum domini sistunt per saecula cuncta.

O generosa parens cunctis gratissima doctis,
o decus imperii, reatrix dignissima mundi,
sole splendor, fuluo preciosior auro,
quam praeclara nites toto sapientia mundo.

1) Vergil. Georg. II. 88.

Aspice quam pulchro decorata est ordine mater
natarum clare diues sapientia fulgens.

Continet hic paries ueterum monumenta sophorum,
claro qui totum docuerunt dogmate mundum.

Hic manet interius diuine legis amator
Grimoldus humilis, templum hoc qui condere iussit.

DE GRIMALDO MAGISTRO.

- Quamuis subteragas regum tabularia uitam
non te pretereo, specubusne latebis Homere?
noui namque Sicana tibi spelea placere,
solus ubi Musis Musarum et amore fruaris.
- 5 saepe tamen magnis uictoribus optima cudis
carmina, tempus erit rutilo te sole calere.
Corporis at nostri si singula membra loquaces
in linguas uario rerum uertantur ab usu
argutae aut setis possint creuisse cicute,
- 10 omnibus impar ero magnorum promere laudes,
ut dignum est; procerum melius miranda tacemus,
quam tam magnum humili pondus sermone leuemus.
Cura mihi fuerat tales cognoscere fasces
rimabarque sagax tantarum munia rerum.
- 15 dumque sitim iam pene sacro restinximus haustu,
et sitis est ingens tam feruida cura uidendi,
quaeritur unde essem et missu cuiatis adessem.
obstupui et totam pauitans rem ex ordine pando,
sufficiat uidisse semel, laudare perennis
- 20 instat amor, diuina manum clementia uestram
omnibus in populis faciat retinere trophea
felicemque patrum famam cum prole togata,
et fieri in magno allectos per saecula senatu
utque timent uestros laetis in saltibus arcus
- 25 ursus, aper timidusque lepus ceruique fugaces,
damma, lupo immane boumque examen agrestum,
sic Vulgar Sarraque cenus malus hospes Hiberis,
brutus Britto, Danus uersutus et horridus Afer

v. 8 uertuntur *H.* uertantur *verb. Wattenbach.* v. 22 togatam *H.* togata *Wattenbach.* v. 27 sarraque cynos *H.* sarraque cenus *vermutet Brower annal. Trevirens. I. 439.*

- subdat honorandis sua colla exterrita dextris.
- 30 nunc tandem creuit felix respublica, cum sat
et reges sapiunt simul et regnant sapientes.
Tetrice stulte uale, quia te suadente canebam,
non mirum est uitii nostram sordere camenam,
nec mihi materiam nec uerba ostendere nosti.
- 35 haec tibi si qua ferat ratio, tum Musa nitebis.
hic calamum placuit, uesper iam, figere, surgit.
Edidit haec Strabus paruissima portio fratrum,
Augia quos uestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
- 40 Strabum me ipse uolo dicere, Strabus ero.
quod factor uitiauit opus, si dicere fas est,
hoc uitiato edam nomine, parce deus.

In Wizunburg.

Hanc sancti sub honore Petri renouauit et auxit
abbas Grimaldus lucis amore domum.
hic ex corde petens diuino munere sumet
quod cupit et uotis congrua dona suis.

Hoc quoque uirgo dei genetrix ueneranda sacellum
Grimaldus humilis compsit honore tuo.
ipsi mercedem cunctisque precantibus istic,
quod pie pręsumunt, dedere posce deum.

Dulcissimo fratri ac reuerentissimo abbati Grimoldo Rabanus uilissimus seruorum
dei seruus in Christo salutem.

Hunc ergo ex scriptis confeci rite libellum
sanctorum patrum frater amate tibi.
ut quorum celebras festa, tu noueris actus
et finem uitae, quo hinc abiire polum.

- 5 sicque bene ipsorum meritis precibusque iuuatus
ad caeli regnum laetus et ipse migres,
quo deus aeternus hominum fortissimus auctor
cum sanctis temet collocet atque beet.

v. 30 *Vgl. Boeth. de consol. philos.* I. 4 Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti: Beatas fore respublicas, si eas uel studiosi sapientiae regerent uel earum rectores studere sapientiae contigisset; *Aur. Prudentii. contra Symmach.* l. I. v. 30 Nimirum pulcre quidam doctissimus: Esset publica res inquit, tunc fortunata satis, si uel reges saperent uel regnarent sapientes.

uiue meae uires lassarumque anchora rerum
10 naufragio et litus tutaque terra meo⁴⁾;
solus honor nobis, urbs tu fidissima semper
curisque afflicto tuta quies animo.
sintque licet montes inter cum fluctibus arua,
mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.
15 te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen amoris,
exoptans animo prospera cuncta tuo.
qui mihi te notum dedit et concessit amicum,
conseruet sanum Christus ubique mihi.
ante solum terrae caelique uolubile cyclum
20 praetereant, uester quam quoque cesset amor.
hocque pater monui, moneo te iterumque monebo,
sis memor ipse mei, sicut et ipse tui,
ut deus in terris quos hic coniunxit amicos,
gaudentes pariter iungat in arce poli.

II.

IN ADVENTV KAROLI FILII AVGVSTORVM.

- | | | | |
|---|---|---|--|
| 1 | Ecce uotis apta uestris
uenit hora, psallite;
gaudium cordis patescat
claritate carminum.
salue regum sancta proles
care Christo Carole. | 5 | In te terra nostra patrem
suscipit cum fratribus,
cum quibus tibi decora
pars honoris permanet. salue |
| 2 | Nullus ordo, nulla rerum
nunc silescat uastitas,
mens et lingua, cor, uoluntas
laudem dando personet. salue etc. | 6 | Ferte nabla tibiasque,
organum cum cimbali,
flatu quicquid, ore, pulsu,
arte constat musica. salue |
| 3 | Credimus superna uotis
angelorum milia
nostris congaudere digne
ut dicamus cernui: salue etc. | 7 | Dicat omne plebis agmen,
clerus ipse primitus,
diues, pauper, sospes, eger
consonent in laudibus. salue |
| 4 | Anna uatem, Sarra risum
non fudit libentius,
quam te toto nunc tenellum
corde mulcet Augia. salue | 8 | Te Maria sancta uirgo
cum subiectis omnibus
in salutem christianam
protegat feliciter. salue |

4) terraneo *H terra meo Brower.*